

α. 2

Q. B. V

LOGOMACHIAM
CAVTE TRACTANDAM

PRAESIDE

GEORG. FRIDER. GVHLINGIO

L. A. M

AD D. CALENDAS NOVEMBRES
A. R. S ∞ 1788

PROPONET

IOANNES ADAMVS ROCHIVS

DOEBELENS. MISN

SS. THEOL. ET PHIL. STVD

VVITTEBERGAE,

LITERIS HEREDVM GERDESIANORVM

8-27.



Biogr. erud.

G. 294,392

MATTHIAM

CAVA

GEOR

LOA

Aus der
Schloßbibliothek zu Oels
1885

SE. THEOD. ET LUDW. SEVD.

13252

VALL. THEOD. ET LUDW. SEVD.

LITERIS. HERED. M. GERD. SEVD.

13252

PROOEMIUM.



EX quo VVERENFELSIUS, acutissimi uir ingenii, logomachias eruditorum est commentatus, magnumque eo labore applausum meruit, multo acrius docti homines ad controuersias coeperunt attendere, et tantum non in omni disputatione logomachiam latentem suspicari. Quanquam enim nullo non tempore fuerint, qui homines, contentionis, quam ueritatis, cupidiores uerborum controuersia torqueri, subinde animaduertent, quo nomine inter ueteres praeter caeteros ANTIOCHVS ASCALONITA, a) CICERO, b) SENECA, c) LUCIANVS, d) alii noti sunt, e) primus tamen solusque VVERENFELSIUS extitit, qui, congesta mente materique, hunc locum aggressus, logomachiae, uocis, significationes diuersas, eius sedes, quas *subiectum* uocat, uarietatem, oriunda inde damna, causas originisque, aduersus eam remedia, utilissima opera sic descripsit, ut conatui suo satis omnino fecisse uideri queat. Secuti eum deinde, quantum praecipue ad logomachias, in quacunque disciplina reperiundas, attinet, multi sunt, quippe quam partem, cum ille non nisi paucissimis exemplis, ex uario doctrinarum genere desumptis, ob institutum posset exequi, singularibus deinde scriptis demonstrare uerborum pugnas instituerunt, *Deuillustis Io. Henr. BERGERVS* f) in *Iurc, Celeb. TREVERVS* g) in *Iurisprudencia naturali*, quod consilium quoque, sed adhuc aliis occupationibus interceptum, *Illustis GRIBNERI* h) fuit, *RYDELIVS* i) in *philosophia*, et, qui praeter caeteros in faciendis

a) *Singulari libro*, quo Stoicos et Peripateticos conciliare uoluit, uid. CICERO de N. D. L. I. b) *Quaest. Acad. L. I. et III, de Finib. B. et M. L. III. Tusc. Quaest. L. II. et alias.* c) *de Vita Beata c. XIII. et alias* d) huius notum dictum, πάντες περι ὄντων σκιάς μάχονται οἱ φιλοσοφῶντες. e) huc scil. referri quodammodo possunt omnes illi, qui sectarum conciliationes tentarunt, praeter nominatos, illi, qui aetati nostrae propiores Platonem cum Aristotele coniunxerunt ut *Iac. MAZONIUS, Seb. FOXIUS, Gabr. BVRATELLVS, Claudius BERIGARDVS, Bernhardinus DONATVS*, alii, illi qui ueterum sectas uindictarunt, ut *RONDELLIVS* et *GASSENDVS* conf. *ROESCHELII* *Diss. de Philosophia conciliatrice VVitteb. 1692. hab. et MORHOE. Polyh. T. II. L. I. c. VII. §. 2, 17. L. II. P. I. c. XI. §. 2.* f) *Singul. Diss. Witteb. 1707.* g) in *Dissertatione Helmst. 1720. habita.* h) uid. *Praef. eius Princ. Iurispr. Nat. praemissa edit. primae.* i) in *Diss. Lundini Gothorum 1716. habita.*

logomachiis magnopere elaborauit, PACHOMIVS k) in theologia. Ut illos nunc taceam, qui singulares controuersias non nisi susceptas de uerbis pugnas fuisse dedita opera ostendere sunt conati. Verum eum fieri plerumque soleat, ut, qui rem unam unice nimis amant, eandem solam, qua id cunque fiat ratione, nimis feruide appetant, ornent, atque amplificent, contentis aut neglectis omnibus periculis, quae ex praepostero ad eam rem consequendam conatu proficisci queant, ita nescio profecto, an non quidam feruentiore ex notatis logomachiis pacificatione suo saepissime ingenio subuenerint in componendis partibus difficultati, l) suaque adeo uoluntate et uoto magis quam sententiarum accurata genuinaque comparatione, non sine ueritatis detrimento, rem gesserint. Equidem, quando mihi animaduertere uisus sum, nunc in *caussis* logomachiarum, nunc in constituendis illarum *signis et argumentis*, quosdam minus caute esse uersatos, alios *certas quasdam uerborum pugnas, ita creditas*, sine causa *contemnere*, alios praeter rem *multas eruditorum magni momenti disceptationes ad uilissimarum conditionem logomachiarum reiicere*, in his singulis locis *logomachiam caute tractandam* ostendere mihi proposui, quo facto *caussas* quoque, quibus praecipue multi ad fingendas logomachias impellantur, una cum *damnis*, ex peruerso illo conciliandi studio oriundis, comprehendam. Primas tamen nunc tantum lineas ducere, chartae, in quam conclusi sumus, angustia nobis permittit, uberiorem hac de re commentationem alii occasione, reseruatoris. F. D. F.

I

Logomachia, uox, diuersas nacta est significationes, et nunc pugnam notat, quae fit uerbis, nunc quae de uerbis suscipitur. Illa conuitiis, calumniis, fraudibus fit magna cum ira et indignatione, de rebus aut parui, aut nullius, momenti, haec uerba, tanquam res, uel impugnat, uel defendit. Helleborosi quidam, ut ARNOLDVS m) DIPPELIUS et alii, n) eo uocabulo omnes tantum non controuersias, de quibuscunque natas rebus, intelligunt. Nos definite logomachiae uoce utimur, eaque eiusmodi significamus lites, quando inter duos disputantes, aut alteruter, aut utrique persuasi sunt, uel certe conten-

k) in *Salome sua*, quam uocat, Christo affini. l) est hoc iudicium MORHOEII de conciliatoribus dissentientium, Polyh. T. II, L. I, c. VII. p. 40. m) uid. B. WERNSDORFII Diss. de Moderatione Theologica p. 58. cp. FECHTIVS, in *Indifferentismo* passim, et in *Disp. de Studio Theol. Polem.* n) omnium crassorum indifferentistarum hanc esse opinionem, aut eam saltem ex eorum effatis fluere, pulchro argumento ostendit WERNSDORFIVS diss. citat. p. 59.

contendunt, se sententia differre, cum non nisi verbis discrepent. Solas has proprie dici putamus logomachias, hocque sensu ipsum Paulum. o) λογomachίαν uocare, quem pii confessores sequuntur, p) reliquis, uti sunt de rebus saepe uilissimis disputationes, et aliae, aut generaliori largiorique significato, aut per calumniam id nominis tribui iudicamus.

II

Dici non potest, quam noxiae eiusmodi disceptationes reipublicae literariae accidant, quam retineantur ingenia atque abstineantur his concertationibus aliarum rerum utiliorum tractatione, quam progressiones disciplinarum et eruditionis incrementa impediuntur, quam ueritates clarissimae per eas obscurentur primum, deinde amittantur, quam iaceant boni mores, quam caecitas, barbaries, rerum confusio omnium ueram opprimant sapientiam, regnumque occupent, ut adeo amoliendis his damnis omnibus non utile solum inprimis, sed prorsus necessarium sit, omni accuratione primas logomachiarum causas originisque indagare, earum ostendere exempla et sedes, ad eas agnoscendas et cauendas signa et remedia praescribere, nihilque non agere et conari, quo tam perniciosae litigationes penitus e reipublica literatorum submoueantur. Frustra scilicet ipsum, quod ex re aliqua oritur, malum prohibere nitimur, nisi fontibus primum rei illius indagatis et ostensis, hos obstruamus, ad obstruendos praesidia et adminicula comparemus, comparatis in loco et tempore, cum cautione et cura, utamur, ne uel ignoratis originibus ueris, aut falsis assignatis, instrumentis aduersus mala aut neglectis turpiter et contemptis, aut minus idoneis, iisque intempestiue et inconsiderate adhibitis, augeamus damna potius, quam minuamus, alique calamitati, ex alia oriundae, praebeamus occasionem.

III

Atque ad causas logomachiarum quod primo loco attinet, in his inuestigandis praeter alios VVERENFELSIUM egregie fuisse uersatum, supra confessi sumus. Ad duo ille capita omnes logomachiarum causas reducit, linguas scilicet et eos, qui linguis in sermone uel sermone utuntur. Illarum ambiguitatem accusat, cum ex uocabulorum plurium diuersa significatione, tum diuersarum uocum iisdem rebus

A 2

im-

o) 1. Tim. VI, 4. 2. Tim. II, 14. quanquam inanes uerborum pugnas sine uero fine susceptas, non excludat. cf. de cactero LEIGHIUS ad h. l. p) Praef. in F. C. p. 630. ed. Rechenb.

impositione oriundam, quam ambiguitatem, terminis, quos uocant, philosophicis, augeri putat. *Horum* cum in loquendo et scribendo obscuritatem et ambiguitatem, tum in legendo et interpretando oscitantiam, tarditatem, malitiam reprehendit.

III
Egregie haec omnia, ut dixi, disputat *VVERENFELSIUS*, exemplisque confirmat. Neque tamen, quae de linguis, tanquam logomachiarum caussis, profert, eo trahenda sunt, ut putemus, tantam esse earum ambiguitatem, ut uerborum pugnae nulla euitari ratione possint, ut ambiguus cuique uerbis quadam quasi necessitate ludendum magis quam utendum sit, proptereaque inique faciant, qui non omnia, ab quocunque demum scripta, in meliorem partem interpretantur. Miseri profecto essemus, actum foret hac ratione de omni uero et certo, nihil sciremus, omnium rerum perturbatio atque scepticismus summa sapientia foret, et uix ipsa de meliori, in quam accipi uerba deberent, sententia quicquam constaret. Neque adeo excordem quenquam facile crediderim, qui ista sibi persuadere queat. Interim negari non potest, multos hic longius progredi, et, quod uerba signa obscura, ambigua atque fallacia esse, iudicant, inque eorum usu nos faciles esse oportere, sciunt, linguis saepe tribuere, quod hominibus, linguis utentibus, assignandum erat. Magnam, fatemur, esse linguarum ambiguitatem, multo maiorem, quam uulgo animaduerti solet. q) Non pauca quaedam uocabula, uti uulgo in logicis libellis citantur, diuersa, imo contraria, significant, sed tantum non omnia, minimis particulis non exclusis, quandoquidem hae fere frequentius, quam ullae aliae uoces, in Ebraeis praesertim, Graecis Latinisque literis, notatione differunt. E-uoluantur modo lexica, inspiciantur alii de uocibus et particulis libri conscripti de quacunque lingua, plura profecto uocabula, quae diuersos intellectus habent, inueniet, quam *lupus*, *cancer*, *mundus*, *ius*, et alias huiuscemodi paucas uoces, quas, ubi de homonymia Logici agunt, communiter excitare solent. Synonymorum copiam quilibet e libris, ad faciendos uersus, aut commutandum sermonem comparatis, facillime agnoscet. Vtramque, et homonymiam et synonymiam, necessitas, ob copiam rerum uerborumque inopiam, et casus partim, partim quaesitus in sermone ornatus, delectatio iucunditasque celebrauit. r) Neque

q) pulchre de hac re fermocinatur *SENECA* de Benef. L. II. c. 34. comp. *CLERICVS* de Art. Crit. P. II. Sect. I. c. V. p. 249. sqq. *GELLIUS* L. XI. c. 12. *Pub.* *QUINTILIANVS* L. VII. L. O. c. 9. r) *CICERO* L. III. de Orat. c. 28.

que tamen non et *negligentiae et fraudi* hominum loquentium hic aliquid assignandum puto, quando multi uerba non curant, alii honeste loquuntur, ut honesti uideantur, uel rem loquendo minuunt, uel exaggerant, prouti malum ipsorum consilium id requirit. Fraudem inprimis, negligentiam omitto, quis non deprehendat, quando fastus luxusque uestium mundities, temeritas fortitudo, libido elegantia moris, appellatur. Quis non caussas subodoretur, in *refectorium* aliquod Pontificiorum ingrediens, quare eiusmodi locus hoc nomine insignitus commendatusque sit. Sic his temporibus non infrequens est, ut, qui peruersissimas quasque euulgat opiniones, si modo cum aliis non decertet, *pacificus*, qui e contrario ueteres constantesque ueritates defendit, *contentiosus* uocetur. Nolo alia nunc fraudulentarum uocum s) commemorare exempla, in uulgi etiam simplicitate magno numero reperiunda. Atque ex his planum fit, quod *non tam linguis per se*, quam illis, qui linguis uel fraudulenter, uel imperite utuntur, logomachiarum culpa tribuenda sit. Detur, magnam *homonymorum* partem *fortuito irrepsisse in linguas*, concedatur, rerum copiam et multitudinem ea fecisse necessaria, non item in loquendo ambiguitas necessaria erit. Praeterquam enim, quod usus, ordo, consilium scribentis, uerborum rerumque connexio, conuenientia proportioque, siue analogia, locus, tempus, obiectae materies natura, aliaque huiusmodi, significationem acceptionemque uocum satis definiunt, singulari deinde opera, si tamen ambiguitas aliqua metuenda sit, in uerborum descriptionem t) incumbendum est, ab sententia eorum recepta non recedendum, nouae uoces, ubi ueteres suppeditant, aut antiquatae non adhibendae, omniaque exquirenda ita et definienda, quo animus lectoris in eosdem terminos, quibus nostrae ipsorum cogitationes conclusae fuerunt, constringantur. u) Omittatur *nimia ornandi sermonis uoluptas*, euitentur *tropi*, ubi his non est opus, neque uerbi aut sermonis ab propria significatione in aliam, nisi cum uirtute, mutatio fiat. Oratoribus hic atque Poetis

Quidlibet audendi sit libera et aequa potestas,

A 3

Phi-

s) tales inprimis ex abusu *εὐφημισμῶν, αὐξήσιος ταπεινώσιος, ἀντιφράσιος* etc. existunt, omnisque huc oratorius fucus, non tam ad persuadendum, quam fallendum, adhibitus, pertinet. t) definitionem nominalem recte RVDIGERVS logomachiarum antidotum nominat de S. V. & F. p. 18. cp. WERENF. c. IX. de remed. logom. u) Phrasium ex uerbis existentium amphibolia quomodo soluenda atque, quod sequitur, euitanda sit FABIVS Inst. Or. L. VII. c. 9. ostendit.

Philosopho, quo nomine nunc et theologum et iuriconsultum et medicum comprehendo, non nisi proprie et signate loqui liceat. Salutationem nominat et execratur, adiciat igitur, se hac uoce quandam motuum corporis petulantiam aut lasciuiam notare ad excitandam libidinem. laudat, declaret igitur, se honestam illam corporis exercitationem, mobilitatis, dignitatis, salubrisque causa delectationis institutam, intelligere. x) Tam sollicitus sit de uerbis, quam de rebus exquirendis, quod sine illis nihil alteri prodest, me uel accuratissime rem cognouisse. Ac tametsi difficile sit omnino corporis praecipue nostri animique perceptiones commodis aptisque uerbis exprimere, meliusque saepe et accuratius cognoscamus rem, quam eam explicare uerbis queamus, y) danda tamen opera est, ut saltem tam accommodata, tamque usitate loquamur, quam id fieri potest. Dulcis nomine id intelligimus, quod sentimus, quando saccharum, aut mel, gustamus. Sentimus uero omnes, quibus gustatus est integer, palatum ex saccharo, aut melle, uoluptate et suaui quadam titillatione moueri. Si neget deinde alter, id, quod nos dulce dicimus suaue esse, tum hoc ipso primum, quod negat dulce suau>e esse, utramque se uocem intelligere prodit. Intellectis uocibus, inficietur deinde, abnuat, repugnet, quantum uolet, dulce ipsius palatui suau>e esse, nos ei prolixè id concedemus. Apludam edat, et floces bibat, nos dulce sumamus. Modo de sententia uerborum inter nos conueniat, de gustatu non disceptabimus. Pari modo, id, quod agimus, quando nos uelle dicimus, z) sentimus omnes. Si postulet alter, ut uerbis, quid hoc uelle sit, explicemus, inclinationem animi ad aliquid uel appetendum, uel auersandum, uocemus. Clarius sibi rem exponi cupit, sine causa id cupit. Non opus est clarioribus uerbis, ubi ipso sensu aliquid percipitur. Valere hic debet illud, quod, *sicut uerba perspicua rebus non notis lucem foenerantur, ita res notae uocibus ignotae aut ambiguae significationis.* a) Modo ita comparata et accommodata uerba sint, ut de iis facile litigari nequeat. Quid uero litigari possit, si animum, quando uult, inclinari dicamus, non perspicio. Quod enim inclinatio, uox, hic non proprio, sed translato, sensu posita sit, quemadmodum fere semper, ubi de rebus, ad externos sensus non occurrentibus, loquimur, fieri necesse est, per se patet. De Synonymia uocum, tanquam logomachiarum causa, eo minus laboro, quo minus periculi hac in parte

x) cp. WERENF. de Log. C. V. §. 2. p. 123. y) cp. id. WERENF. l. c. p. 127, 130. z) cp. WERENF. l. c. p. 127. a) uid. CLERICVS de Art. Cr. P. H. S. I. c. V. p. 277.

parte ab ea imminet, si recte uocabulis, idem declarantibus, utamur. Aut enim illa prorsus uni eidemque rei indita sunt, et sic insignius illud, de quo uolumus dicere, pluribus nominibus usurpatis, facere possumus, aut significantur quidem pluribus uocibus res in praecipuis eadem, in multis tamen, aut quibusdam, quae res circumstant, diuersae, et sic illae uoces, de sua quaque re cum cura adhibitae, res, inter quas leue interest discrimen, accuratius distinguunt.

V

Idem de terminis, quos uocant, Scholasticis, praecipue, quod in theologiam intrusi sint, esto iudicium. Dicitur non potest, quam misera his praecipue temporibus eorum terminorum sit conditio, adeo, ut uix tutum sit, iis quocumque uti modo, nisi pro praestigiatoribus, aut factitia latronum lingua loquentibus, haberi uelimus. His auditis marsupium claudunt quidam et obseruant, his omnem usum negant, nullam sententiam subiectam clamitant, his quomodocumque de quibuscumque usurpatis rebus, obscuritatem, ambiguitatem, rerum confusionem omnium tribuunt et exprobrant, his uti, idem esse, ac nihil dicere, demum autumant. Et, quando etiam paucissimis in philosophia usum, quanquam exiguum, relinquunt, in theologia tamen ferre prorsus nequeunt, et iam de Hagare cogitant, quae se Sarae praefere uelit. Ex his praeiudicatis opinionibus tot multorum miserae querelae, quod iis addiscendis in iuuentute sua tantum temporis inutiliter perdiderint. Hinc tam sollicita ueniae exoratio, si ipsi, qui contemnunt, aliquando ipsa necessitate ad eos adhibendos compellantur, ubi tamen deprecatione prorsus non erat opus. Sed nimirum eo tantum illa ueniae exostulatione utuntur, ne, usurpando terminos, sua ipsorum antea de iis peruerse pronuntiata euertere uideantur. At ueniam quoque tum multi ex iis sibi fieri, orant, ut terminis scholasticis loquentes, barbare ipsis loqui liceat, quanquam caetera illi ipsi omnibus, quos scribunt, uersibus barbare et insulse loquantur, satisque prodant, prorsus se *nullo* latinitatis *gustu fulgere*, atque hoc ipso quod terminis alicubi assumtis gratiam impunitatemque obtestantur, quid sit barbare loqui, se nescire ostendant. c) Vt breuis sim, tanto quisque maiori odio illos terminos habet, quanto longiores praepostero suo
paci-

b) uid. THOMASII Weitere Erklärung des Vorschlags wegen der neuen Wissenschaft anderer Menschen Gemüther zu erkennen. Halae, 1692. c. l. p. 24, 25, S. 14.
c) non enim is barbare loquitur, qui artis cuiusque uocabulis utitur, sed ille potius, qui aliam, quam ars requirit, sequitur dicendi rationem. Eleganter hac de se pronuntiat CICERO Acad. Quaest. L, l. p. 62. ed. Wechel.

pacificandi studio eos moras afferre intelligit. Affirmet aliquis, uerum Pontificios inter et Lutheranos de iustificatione esse dissensum, continuo aderit, qui adunco naso, ipse ridendus, rideat, quod ab multis non intelligatur, totam litem metaphysica distinctione inter fidem, *quae* habet bona opera, et inter fidem, *qua* habet bona opera, siue inter fidem operibus *specificatiue* et *reduplicatiue* coniunctam, inniti. d) Ut nihil nunc de ridiculo prorsus argumento dicam, quo multi terminorum usurpationes traducere uolunt, quando exemplorum loco subinde *haecceitates, alietates, idenditates, uelleitates, ecceitates, petreitates, quidditates, indiuiduationes* ogganniunt, e) quibus tamen uocibus partim nemo nunc utitur, partim, si quibusdam ex iis quis utatur, non sine ratione id facere possit. Sed nobis nunc de terminorum Philosophicorum obscuritate atque ambiguitate breuibus admonendum est, ex qua utraque inanes uerborum pugnas existere dicunt. Non dubitamus, ut magna interdum de iis nasci fabula queat, si unusquisque pro lubitu iis in diuersis sententiis infinite utatur. Sed tum uocabula illa per se non gignunt logomachias, sed ille potius, qui alienam iis significationem subiicit. Quando e contrario facile omnes uerborum controuersiae per eos ipsos coerceri possunt, f) si sensu non nisi usitatissimo ponantur, uel, si etiam necessitas aliquando aliam iis sententiam tribuere cogat, haec addatur statim et describatur. Qua accuratone obscuritas etiam, quam propter multi eos reiiciunt, tollitur, ut non magis ratio earum suspensa sit et intricata futura, quam aliarum quarumcunque rerum, quibus addiscendis nullam adhuc operam impendimus. Quod enim quidam eos nihil nisi sonos rudes sensuque carentes esse queruntur, istud non nisi de paucissimis, iisque iam diu obsoletis, intelligi potest, id enim, si quis de uocibus, *materia, forma, substantia, priuatio, potentia*, imo etiam de uerbis, *circumscriptiue, definitiue, repletive*, et aliis huiusmodi, affirmare uellet, illum ipsum sine mente esse oporteret. Scilicet ipsae interdum res magis, quam uerba obscuritatem habent, ut, si quis etiam communissimis uerbis, praeter eiusmodi locutionem philosophicam, de iis differat, nullam tamen unquam rei imaginem animo informare possit, g) Obscurissima

d) uid. PEAFFIUS in Ges. Vnions-Schr. P. II. p. 25, 26. it. p. 41. 42.
 e) uid. THOMASIUS loco supra citato. f) cp. SCHERZERVS in Praef. ad Breviar. Hull. g) argumento hoc est, nihil CLERICVM dicere de Vocibus Nihili Critic. Vol. I c. I. quando uoces *casus, fortuna, fatum, honestum, laudabilia, communicatio idiomatum in Christo, corpus spirituale, sympathia, tres in trinitate personae*, et hoc fortasse contra mentem AVGVSTINI, eo refert, quae tamen omnia, suo quodque modo, reuera existunt.

ma sunt, omnemque fere apprehendendi uim eludentia, quae adducit
 V WERENFELSIUS, h) Scholasticorum disputata de materia quadam
prima. Sed cum his recentiorum de atomis disceptationes comparet,
 qui uolet, profecto sentiet, hos, quanquam nullis fere Scholasticorum
 terminis rem implicarint, non tamen insigniorem eam aut euidentiore-
 rem, sicut nec alias res haud paucas, facere potuisse. Post multas enim *in-*
definitiones et partes indefinitissimas commemoratas uidebitur sibi ali-
 quid per caliginem uidere, re ipsa tantundem animo depinget, quan-
 tum de materia prima Scholastici potuerunt, scilicet, quod sit atomus
 neque quid, neque quantum neque quale, siue, quod sit quasi ludus
 entis in non ens refugiens, ut Porphyrius de materia prima loquitur.
 Nimirum ipsae res obscurae sunt, ideoque minime argutandum,
 uerbis, de tali re usurpatis, nullam sententiam esse subiectam. Discrimi-
 nanda est sententia uerbi alicuius ab rei clara animo nostro in-
 formatione expressaque repraesentatione, qua res alias externis per-
 ceptas sensibus ante animum proponimus, atque haec distinctio prae-
 cipue etiam in mysteriis sanctioris fidei nostrae seruanda est. i)

VI

His ita disputatis tantum non omnes logomachiarum caussae
 in eos recident, qui linguis, uocibus, terminis uel utuntur, uel eos
 interpretantur. Atque hoc tantum abest, ut negem, ut potius cum
 scientissimis affirmem. k) Sed obseruare licet, in controuersis prae-
 fertim recentioribus, cum philosophicis, tum theologicis, eos fere so-
 los in culpa ac suspitione excitatarum inutilium disceptationum poni,
 qui aliis, nouandi praesertim studio correptis, uel de rebus uel de
 uerbis controuersias mouent, quanquam id non sine caussa faciant, il-
 los e contrario omnibus modis excusari, pacisque amantium nomi-
 ne commendari, qui ad omnia uetera naueantes, tanquam *solipsi* qui-
 dam, ut SCALIGERIANA uoce utar, nullam et usus in loquendo rati-
 onem habent, et peruersissimas quoque opiniones euulgant, eaque ra-
 tione toti re ipsa, qua sanioris est mentis, orbi contradicunt. Mea sic
 fert ratio, quam prudentiores non improbant, quod, quamuis reuera
 aliquando lis mota nihil nisi uerborum controuersia sit, tamen, nisi ma-
 nifesta interpretantis malitia agnoscat, non tam hic logomachiae
 auctor dicendus sit, quam ille, qui nouas non necessarias, easque uel
 minus accuratas uel obscuras, uel prorsus suspectas uoces inuehere co-

B

natur

h) cap. III. de Log. §. 9. p. 68. i) uid. Celeb. WOLFFIUS in Logic. §. 12.
 comp. Cel. FEVERLINVS in Diss. de Cognitione symbolica et intuitiua. k)
 de utrisque singularibus capitibus exponit WERENFELSIUS c. scil. VI. et VII.
 p. 142. sqq. 161. sqq.

natur. l) Facilius enim erat scribenti usitato sermone uti, quam interpretanti noua uocabula, eaque minus definita, intelligere. Neque facile etiam uerba in deteriorem partem detorquerentur, nisi ambigue antea posita fuissent. Illud hoc omittere nequeo, quod, nihil pecco, si dicam, impudenter nimis *VVERENFELSIUS*, caetera acutissimus pronunciat, *logomachias* scilicet *QVAESIVISSE eos, qui terminos, quos uocant, scholasticos in theologiam inuexerunt, ut de materia et forma sacramentorum disputarent.* Cuius auctoritati *CHEMNITII* m) nostri ingenuitatem oppono, qui, *scholasticae, inquit, notationes differentium appellationum recte et utiliter in scholis inter eruditos in hac doctrina retinentur. Vsus enim scholasticorum uocabulorum in hac doctrina ad res ipsas non turbandas et obscurandas, sed distinguendas et explicandas inuentus et receptus est. Nequiter autem faciunt, qui, ubi de rebus ipsis constat, propter talia scholastica, siue artium, uocabula Ecclesias turbant.*

VII.

Ad signa nunc logomachiarum aggrederer exeutienda, nisi ab quibusdam *methodum* quoque, quem uocant, *causalem* tractandi theologiam multarum in hac logomachiarum causam uenditari animaduernerem. n) Non dicam nunc de eo, plus sine controuersia eos dicere, quam probare possunt, qui tantopere *de logomachiis in theologia nostra reperiundis* queruntur. o) Scio quid praeter alios *PACHOMIUS* p) praecipue male tentauerit, sed de his omnibus infra dicendi locus occurret. Nunc de *methodo* causali, logomachiarum fonte, dispiciendum. De quo tamen, ubi omnibus cogitandi uiribus consumtis dispicio, nihil perniciosi in ea perspicio, quod non summa potius utilitate, imo etiam necessitate, se commendat. In omnibus certe disciplinis ille demum accuratam rerum cognitionem habere, ille doctus esse censeatur, qui *res omnes ex causis suis, quantum eius potuit fieri, spectare didicit, ac proinde iudicio ualet, non sola memoria, quae in rustico quoque de rebus e. c. physicis et moralibus satis ampla est.* Cur igitur non etiam
The-

l) multa hic pulchre et praeclare dicta afferri possent ex B. WERNSDORFII Diff. de Causis turbarum, quam ipse L. B. comparet. m) Loc. de duab. Nat. in Christo p. 11. 13. cp. Cel. BVDDEVSSynt Diff. p. 691. n) uid. Cel. D. D. BVDDEVSS Isag. Theol. L. II, c. I, §. 17. p. 428. cp. PFAFFIUS de Praei. Theol. Diff. I, p. 25. et in Prol. Gal. Instit. Theolog. neque alienus esse uidetur ab hac opinione Steph. GAUSSENVS Diff. de Nat. Theol. p. m. 98. o) uti modo nominatus PFAFFIUS facit multis in locis. p) in sua *Salome Christo affini*, quam tamen durius, atque alias sequior sexus solet, tractauit depexamque dedit moribus ille minime elegantibus et hodiernis, sed antiquis Ioan. FRANCISCI in *Salome nesciente quid petat.*

Theologum eum felicem iudicemus, qui diuinarum quoque rerum causas ad sacrarum praescriptionem literarum cognoscere potuit, praesertim cum ipse Spiritus S., ubi de praecipuis salutis nostrae capitibus exponit, innumeris fere in locis unam doctrinam alteri accurate annexat, et, quomodo alia ex alia deducenda atque deriuanda sit, perspicue ostendat. q) Quenam, quaeso, methodus simplicior esse, atque ex ipsa rerum natura repetita uideri potest, quam ubi secundum omnes causas suas res quaedam consideratur, qua methodo distinctius res animo informari, quam ubi causa ab causa, causa ab effectu accurate discernitur. Imo quae ratio alia res inspiciendi dari aut institui potest, nisi haec ipsa. Age dicat uel scribat, quicumque uelit, quodcumque uelit, quomodocumque uelit, nihil uel artificiosissima methodo, nihil, inquam, habebit, quod non uel ad causas, uel effecta, uel adiuncta, uel contraria rei possit et debeat referri. Non permittit spatii angustia, ut exempli loco aliquod caput ex BVDDEI, summi uiri, institutionibus theologicis depromamus, alioquin facillimum foret ostendere, methodum causalem etiam in alia, uel maxime arbitraria methodo, necessario subesse, nihilque in ea, nisi apertam terminorum deesse notationem. Quare ad illam sententiam adducor, ut persuasus sim, plerisque, qui methodum causalem reiciunt, non cum ipsa per se methodo, quippe ex ipsa rei cuiuscumque natura profecta, sed cum uocabulis pugnare, haecque sola impetere, cum methodo ipsa nulla carere disciplina possit. Et quod termini praecipue sint, quos ferre nequeunt, confitentur ipsi, dum scribunt, *per hancce methodum occasionem dari uocibus ex metaphysicorum scholis petitis, theologiam obruendi, quae cum non una semper ratione ab omnibus accipiantur, logomachiis contentionibusque et certaminibus impleri omnia.* ad quae cum supra satis responsum sit, non est, quare hic quicquam reperamus. Non potest in terminos philosophicos per se ulla logomachiarum causa conferri, atque id ipsa citata uerba exprimere uidentur, sed tantum in eorum abusum, quod uero in alia etiam quacumque uel uoce uel dictione, minus accurate usurpata, non potest non euenire. Nihil admoneo de tributa huic methodo obscuritate, uel solo Koenigiani Compendii exemplo discutienda, nimia ad res omnes complectendas angustia, fastidio per eam rerum earundem necessaria repetitione mouendo, eius horriditate ex *insuauis in ea campanae*, uti eleganter loquuntur, *metaphysicae tinnitu*, haec enim omnia, quamuis facile reicienda, ad nos tamen nunc non pertinent.

q) Rom. III, 24. 25. sqq. Eph. I, 2. 3. etc.

SECT. II

I

Ad signa potius logomachiarum aggredior, et quid de his tuto, quid non sine periculo, constituatur exquiro. Quando uero solus, quod sciam, VVERENFELSIUS in his ponendis operam impendit, huius etiam solius uestigia persequemur, et, in quibus aberrasse quodammodo uideri potest, indicabimus. Quanquam enim certum sit, ab doctissimisque iudicatum hominibus, summam fuisse Viri illius ad peruidendas res penetrandasque acrimoniam, id tamen tantum non ex omnibus eius scriptis facile intelligi potest, nimum scilicet pacificationis studium eius aliquando uidendi uim praestrinxisse, ut non tam quid ueritati conseruandae, quam quid destinatis suis perficiendis idoneum attenderit.

II

Primum, quod ponit, logomachiarum signum hoc est, *si quis in caeteris mentis compos ea oppugnare uideatur, in quibus totum genus humanum conuenit, uerisimilius est, hunc uerbis, quam sententia, ab iis, quibuscum disputat, dissidere.* r) Poterat quidem uideri haec talia non infinite ponere, quando *uerisimilius* hoc tantum esse dicit. Sed clarius sententiam explicat, quando statim subdit, s) *sententia enim generis humani est sententia hominis, quem exuere necesse est, quisquis ab ea recedere uult, id quod de homine sanae mentis in aliis rebus credendum NVNQVAM est.* Quando uero, ut alia nunc opinionum portenta*)
 1) omittamus, Pyrrhonios memoria repetimus, nihil in omni rerum natura certum firmumque esse, atque ne id ipsum quidem, statuentes, ubi
 2) Egoistas, t) quos uocant, cogitamus, nihil praeter se solos reipsa esse
 3) atque existere, credentes, quando THOMASIVM, u) recordamur,
 4) scribentem, homines specie differre, et alium Io. quendam ASGILLVM, x) omnibus ingenii uiribus annisum, ut probaret, non necessario neque ullo diuino fato omnes homines mortem oppetere, facile quid de constituto primo illo logomachiarum signo habendum sit, in quantum illud accipi, in quantum non admitti debeat, patebit. At illos, quos adduximus

r) de Log. c. VIII. §. 2. 192. s) l. c. p. 193. *) de his colligendis consilium uide Unschuldige Nachrichten A. 1728. t) de his uid. PFAFFIVS in sing. Oratione. u) in Tentam. de natura Spir. p. 186. et Fund. I. N. et G. passim. cum eo consentit AVCTOR des entdeckten Carneuals I. Nuffz. pag. 200. cp. GALLVS quidam in Recens. Triuoltinis A. c 10 10 CCI. x) Prodiit liber Anglice Londoni 1699, lingua Batavorum Amstel. 1700, germanice conuertente D. PRITIO 1702, cp. PFAFFIVS Sched. de morte naturali. Refutatus liber a PRITIO ipso, FECHTIO, QVISTORPIO, GRAPIO, aliis, eiusdem opinionis fuisse dicitur, quanquam aliis inductus rationibus, POSTELLVS uid. POPE-BLOVNT Cens. Cel. Vir. p. 669.

mus in caeteris quoque rebus mentis non compotes fuisse dices. Quod, si de omnibus reliquis concedendum sit, de THOMASIO tamen, heroe illo et primate, quem quidam eius admiratores uocant, literario, y) uel cum ipso Luthero eodem numero locoque habendo, Aristoteli uero et Cartesio tantum non praeponendo, id affirmare nefas fuerit.

III

II) Atque ex dictis etiam apparere potest, quid de altero ab VVERENFELSIO logomachiarum constituto signo existimandum sit. *Si quis, ait, negare uidetur rem cognitu facillimam, quae tibi adeo perspicue uera uidetur, ut perspicuitas assensum tibi extorqueat, et, tametsi uelis, non possis in dubium uocare hunc existimato a te non reuera dissentire.* z) Ipse VVERENFELSIUS hoc suum signum uariis modis restringit a) ut uel ex hoc ipso appareat, quanta in eo adhibendo cautione opus sit. Angustiae uero chartae memores, mittimus omnia, quae etiam de ipsis, quibus signum suum circumscribit, cautionibus admo-neri possent. Dicimus generatim, accuratum uerborum sententiae-que oblatae examen, antequam alios refutemus, non negligendum quidem, sed ne signo tamen VVERENFELSI in deuia abripiamur, simul cogitandum esse, magnos quoque haud raro dormitare Homeros, ani-mi perturbationes, ab quibus neque summi doctissimique uiri liberi sunt, expendendas, uersandam in animo opinionum praeiudicatarum uim, perspicacissimos fallentem, ipsam τῆς πλάνης, quam sacrae literae commemorant ἐνέργειαν b) animo et mente circumspectandam, sic fa-cile mediam seruabimus uiam, atque hinc inutiles contentiones, hinc perniciosas sententiarum conciliationes euitabimus.

IIII

III) Tertium signum ab altero parum differt. *Si, inquit, quamprimum uir sapiens manifeste absurda et ridicula propugnare uidetur, tu pro-tinus coniectes, logomachiam disputationi subesse, non uana plerumque erit coniectura.* c) Concedimus, uideri aliquando posse uirum sapi-entem manifeste inconcinna defendere, quae re ipsa neque sentit ne-que credit. Quod uero, quamprimum tale quid accidit, protinus de logomachia coniectandum sit, negamus, quod haec ipsa coniectura haud secus, atque alia opinio praeiudicata, nos inducere facile potest. Du-bitatio hic et in sententiam prolatam sollicita inquisitio sufficit. Ipse

B 3

VVE-

y) cp. HEVMANNI Consp. Reip. Lit. ed. rec. p. 200. z) cap. cit. §. 3. p. 193. a) cap. §. et p. citata item p. 194. et p. 196. b) hanc qui per-penderit, uerum suo modo deprehendet Academicorum illud *omne uisum, quod est a uero tale est, quale etiam a falso esse potest.* CICERO L. III. Q. A. p. 16. cp. B. WERNSDORFII Diss. de Efficacia Errorum. c) c. cit. §. 4. p. 197.

VVERENFELSIVS prolixè largitur sapientissimos homines falli posse. d) Hoc igitur si est, quae nos causa moueat, ut logomachiam statim suspicemur, adesse, ubi etiam nulla esse potest. Criticos, ut imitemur, suader, e) qui uerba auctoris frigidiora et obscuriora, tametsi cum uetustissimis membranis concordantia, emendanda tamen putent. Sed cui obscurum esse potest, quantopere etiam Critici in castigandis auctorum locis fallantur. f) Vereor certe, ut haud minus, imo etiam magis circumscribantur ac decipiantur, qui nimis faciles sunt ad peruersa aliorum pronunciata in meliorem partem interpretanda. CICERONIS effatum, nescientis, quomodo absurdissimum quodque ab aliquo Philosophorum dicatur, uti non temere ab eo est prolatum, sic sola dictatoria pronuntiatione, nisi exemplis quoque bene multis amotis, frangi nequit. PAVLLI uero de inanibus euanescentibusque gentium a uero Deo auersarum, cogitationibus dicta g) sic alligare ad has ipsas et adstringere uelle, tanquam si in aliis hominibus, suae *ὑψώματα* rationis attollentibus, non idem Dei iudicium obseruare liceat, id uero temerarium nimis et impetuofum uideri potest.

IV

Qui perpenderit animo, quam homines doctissimi, perspicacissimo ingenio, uel noua proferendi, uel ueterum sententiis contradicendi studio, uel aliis animi perturbationibus abrepti, saepe in deuia ferantur, ut uiae, quam semel ingressi fuerant, prorsus obliti mox in alia omnia, imo contraria, tendant, et cum gnarone Terentiano, nunc si aias, aiunt, si neges, negent quoque, facile is intelliget, quam caute quartum, quod dat VVERENFELSIVS signum accipiendum sit, quamque sollicitè cogitandum, quod, si quis aduersario caetera perspicacis ingenii sententiam tribuit, eamque oppugnat, quae uerbis quidem eius conuenire uidetur, sed aliis certis et constantibus eiusdem aduersarii opinionibus manifestè repugnat, uerisimile quidem sit, neutiquam tamen confectum, logomachiam adesse. Anceps ualde et dubium de perspicacia non minus, quam de constantia aduersarii est iudicium. Potest generatim aduersarius ingenii imprimis perspicacis haberi, qui nihilominus in hac illaue re peruidenda multis de causis deficit, manesque suos, ut cum Poeta loquar, patitur. De SPENERO quidem ab cordatissimis uiris h) iudicatum *totam orthodoxae fidei analogiam ex scriptis eius, si quis ea studiose perlegeret, comportari posse, ut tamen propterea ab heterodoxia non absoluat, quia alibi erroribus eandem analogiam perreperit rursus et inuastarit.* Maxime uero omnium accidit, ut acutissimi etiam uiri minus prospiciant, quam inimica ex hac illaue positione assumta, quamque aduersa ipsorum alias pronunciatis, fluant. Exemplo Reformati doctores coetus esse possunt. i)

V

Quod rarissime ab Logomachia immunis sit, qui sententiam aduersario tribuit absurdam aut turpem, uerbis quidem eius satis conuenientem, a qua tamen uita et

d) l. c. e) l. c. p. 198. f) cp. optimi fratris Diss. de Apographis Veterum. g) Rom. I, 20. 21. h) uid. SCHELVIGII Synopsis in Praef. ad Suppl. fere sub finem. i) inde tot multorum tum controuersiae tum querelae de *consequentiarum imputatione*, de quo uid. SPANHEMIVS, Pater, de consequentiis, CALOVIUS suis in scriptis passim, CLAVSINGIVS peculiari Diss. VVERENFELSIVS de Log. Erud. c. 9. p. 238. PFAFFIVS sing. diss. et alii, quos hic excitat. *Cons. N. 14 - 17. 3ij. Volum.*

et praxis abhorret, k) id multo cum sale accipiendum iudico. Magis etiam intelligenti viri, qui rerum usu prudentiam sibi compararunt. Ipse fortasse WERENFELSIUS hoc signum non vult tum accipi, ubi homines uel corporis animique infirmitate, uel angustia fortunarum, uel metu aliorum iudicio aut potentia ualentium, uel faciendae fraudis studio, aliisque de causis coercentur, quo minus ex animi sententia, e uerbis haud raro pellucente, semper uiuant. Non saltat podagricus, alias de saltatione eximie sentiens. Neque apud omnes illa uulpis philosophia obtinet, ut quaesitis quibusdam argumentis contemnant, quod assequi nequeunt. Certe nisi de Epicuri, melius de uoluptate sentientis quam loquentis, sententia aliunde constaret, ex eo quod paullum casei Cythridi ad lautius epulandum sibi mitti cupit, l) uerba eius melius interpretanda non censuerim. Sed in his ut immoremur non est necesse, cum alia monenda restent. Alienum scilicet non est neque insolens, male dicta speciosis factis, quasi quibusdam integumentis obuoluere, ne, quid monstri alant, statim propaletur. Quae fraus, si sanctiori imprimis DEI coetui non frequenter ab inimicis ueritatis metuenda esset, quorum tot Seruatoris optimi diuinorumque scriptorum sollicitae cohortationes, de uersutis eiusmodi tortuosisque hominibus cauendis. m) Quare nemini profecto minus, quam Theologo hic securo esse licet, quod praeterea tot fauerissimum haereticorum, omnibus temporibus tum uerbis, tum uita fallentium, exempla confirmant. n) Ne dicam nunc de eo, plures et diuersas uitae proxiosque, quam WERENFELSIUS uocat, dari rationes, ut adeo ex praxi ipsa non tuto semper definiiri possit, ex quo fonte actio aliqua fluxerit. Quare, si quis ex eo, quod templa frequentauit THOMASIVS, precesque publice ad DEVM fudit, coniectare uellet, uideri eum tantummodo publici cultus necessitatem, ex naturali ratione cognoscendam, negare, re ipsa id minime facere, o) insigniter falsus foret. Publicam enim ille DEO praestare cultum potuit, non ratione naturali, sed sacrarum praescriptione literarum adactus.

VII

Ad sextum signum coarctandum, quod scilicet raro uerus inter disputantes dissensus sit, ubi isdem ad sententiam suam probandam uterque utitur argumentis p) sufficiat notasse exemplum controuersiae recentioris illustre de hominis impii nefariiue acquisita rerum diuinarum scientia. Vtrique, et qui contendunt, theologiam mali hominis non esse ueram neque spiritualem, et qui ueram et spirituales esse ostenderunt, fulcimentum sententiae suae ab dicto PAVLLI q) repetunt. Sed totam propterea controuersiam nihil nisi logomachiam esse tuto existimare non licebit.

VIII

k) cp. WERENE, c. VIII. §. 6. p. 203. l) uid. LAERTIVS L. X. p. m. 500. m) Matth. VII, 15. X, 16. Col. II, 18. 2. Tim. III, 5. 6. 2. Cor. XI, 14, 15. Gal. I, 8. Ef. XXXII, 6. 1. Petr. II, 4. inprimis 2. Cor. II, 17. et alias. n) ARNOLDVS, dum in haeresiologia omnium haereticorum sanctitatem uero Dei coetui exprobrat, id egit, ut, qui de pietate, a pessimo quoque suis erroribus praetensa, omniumque ab origine generis humani haereticorum scuto, agere uelit, idoneum satis apparatus apud hunc inueniat, caute tamen usurpandum, quia Cainum hunc saepe mentitum esse maximu uiri CYPRIANVS, FECHTIVS, CAROLI, alii ostenderunt. o) cp. THOMASIVS in Iurisprud. diu. L. II. c. 1. §. 1. sqq. Introd. in doctrinam moral. c. III. §. 38. contra quem uid. HEDENVS sub praef. Magnif. HASSENII habita Diss. de Necess. cultus diuini externi, MVLLERVS Diss. de eodem arg. S. V. LOESCHERVS Praen. Theol. p. 91. PVFENDORF. de O. H. et C. L. I. c. 4. §. 7. HOCHSTETTERVS Coll. P. Ex. 4. §. 38. SCHVARZIVS in spec. I. Controu. I. N. et G. p) l. c. p. 206. q) I. Cor. II, 14. contendunt quidem non nulli, hanc ipsam

VIII

VII. Pleraque disputationes de definitione et diuisione rerum logomachiae sunt septimo loco WERENFELSIVS pronunciat. r) Et subdit, de nominum imprimis definitionibus disputare est aperte λογολαχῆν. Certe cum in definitionibus, hinc realibus, quas uocant, hinc nominalibus, cum ipsae rerum essentiae, tum omnis intelligentiae certa finitaque ratio contineatur, adeo, ut si cum accuratatione factae sint, firmo earum praesidio conseruetur ueritas, sin minus praecisae uel uagae, uel prorsus falsae, errores gignantur, protegantur et confirmantur, patet, quantum intersit, disputationes de definitionibus rerum et nominum non nisi tota controuersia prius bene examinata et perspecta, pro logomachiis haberi. In diuisionibus rerum plenis commodisque tam sollicitè nos operam collocare oportet, quam utile esse ipso usu edocemur, *generalem* disciplinae alicuius, *distinctam* tamen et *adaequatam* habere cognitionem, tum ad ipsas res singulas discriminatius peruidendas, tum eas memoriae feliciter infigendas et retinendas. Sed de his in sequentibus uberius agemus. Ad lepidam de caetero, quam s) afferunt de diuisione, *comparationem*, quod scilicet esurientes in conuiuio non ferant scissores ferculorum, diu inter se disceptantes, *in quot* frustra cibus appositus diuidendus sit, sed saturari potius optent, non minus lepide responderi posse uideo. Quod si enim scissores ferculorum *non pro numero* conuiuarum sed *pro lubitu* frustra diuiderent, ut ii ex conuiuis, qui ante scissorum altercationes, repetitasque conuiuarum enumerationes ferre non poterant, nunc etiam nihil uel parum *de cibo appposito* acciperent, non dubito, quin esuritores istos et famelicos impatientiae postea acerba satis poenitentia subitura sit.

VIII

Reliqua ostensa logomachiarum indicia mitto, quod et ipse WERENFELSIVS limites iis circumscribit, et ex iis, quae haecenus admonui, quomodo determinanda sint iudicari potest. Id refert adhuc monuisse, ne quis forte meipsum excitarum inutilium logomachiarum postulet, me, dum nonnihil ad signa WERENFELSII admonere est uisum, *non ea prorsus reuicere et euertere uoluisse*. In tanta enim rerum ingeniorumque diuersitate, exempla profecto deesse non possunt, quae prorsus in ea signa quadrent. Id tantum quaesui efficere, ut ne infinite a quoquam accipiantur, ut ne certa logomachiarum argumenta et indicia existimentur. Primum ipse WERENFELSIVS non uult fieri. t) Alterum ex parte concedit, quando *non omnia signa aeque certa esse* largitur. u) Nullam uero ex omnibus eius notis *satis certam* haberi posse, eadem nobis concedi ratione postulamus, qua modo dedimus, reuera quandoque λογολαχῆς sub istis signis militare, *rerum scilicet ingeniorumque uarietate*. Et ut paucis multa comprehendam, non abnuimus haecenus, quin, deprehensis uno aut pluribus in disputatione aliqua WERENFELSII signis, necessario nos existimare debeamus, accuratum examen ad totam controuersiam momento suo ponderandam instituentum, antequam de ea quicquam pronunciemus. Sed, quod ante examen institutum nulla uel minima logomachiae suspicio capessanda sit, ut WERENFELSIVS suadet x) id destruere conati sumus. Haec ipsa enim suspicio et coniectura ad ὑπονοίας πονηράς, y) quas WERENFELSIVS alias ex PAVLLO explanatas taxat z) referri, eiusque aliquando non minor uis, quam opinionis alicuius praeciudicatae, haberi debet.

controuersiam logomachiam esse, praeter alios AVCTOR Pomi Eridos, sed de hoc infra dispiciemus. r) l. c. p. 208. s) praeter WERENFELSIVM ea etiam THOMASIVS utitur. t) cap. scil. VIII. §. 13. p. 217. u) l. c. x) l. c. p. 218. cp. signum III. p. 197. y) I. Tim. VI. z) cap. III. §. 9. p. 82.

Diogr. erud. C 294, 39d

amyl 725